



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

Caput 1. De Pronuntiatione in gener.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)

LIBER V.

De quinta parte Eloquentiæ, seu
de Pronuntiatione.

CAPUT I.

De Pronuntiatione in genere.

I. **Q**uid est Pronuntiatio? Resp. Vulgò vocatur Actio, estque Vocis ac Gestûs in proferenda oratione cum dignitate moderatio. Cum dignitate, inquam, seu decentia: neq; enim histrionicæ gesticulationes, incompositi motus, incultæ corporis constitutiones, inconditæ vociferationes, quæ quidem à sacris pulpitis longè debent abesse, Pronuntiationis nomine veniunt. Modus autem Actionis ex optimorum Oratorum frequenti consideratione discendus est.

Pronuntiatio
quid.

II. Quid confert orationi Pronuntiatio sive Actio? Resp. Cicero L. 3. de Oratore n. 31. *Actio in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos sæpe superat. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias. Et in Oratore ad Brutum n. 10. Est enim actio quasi corporis quedam eloquentia, cum constet è voce atq; motu.*

Ejus utilitas.

Varietas.

III. Estne aliqua actio, quæ universaliter omni orationi conveniat? Resp. Nulla ratione; uti rursus Cic. L. 3. de Orat. n. 31. Nam & cause capitum alium quendam verborum sonum requirunt, alium rerum privatarum atq; parvarum; & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud objurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an iudices: frequentes, an pauci, an singuli: & quales ipsi quoq; oratores, qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri: tempus pacis, an belli; festinationis, an otij. Itaq; hoc loco nihil sanè est, quod præcipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris & tenuioris, & item illius mediocris, ad id, quod agimus, deligamus. Ornamentis iisdem uti ferè licebit, aliàs contentiùs, aliàs summissiùs: omnique in re posse, quod deceat, facere, artis & nature est; scire, quid, quandòq; deceat, prudentia.

CAPUT II.

De prima parte Pronuntiationis,
seu de moderatione vocis.

Vox sit sonora,

I. **Q**ualis universim debet esse vox? Resp. Cic. L. 3. de Orat. n. 40. Vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi litteras putidiùs, nolo obscurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata &

an